

sicut eis prædicabatur, ut docet Scotus in 4. dist. 3. q. 4. § *Quantum ergo*, cum aliis.

129. *Nec non solutione jurium in contrarium allegatorum.* — Nec obstare videtur cap. 1. de *Postulat. prælat.* juncto cap. 1. de *Concess. præbend.* quæ pro priori sententia n. 119 et 120 allegantur. Nam, quod attinet hoc posterius, textus ibidem relatus, est allegatio partis, non dispositio juris, ut liquet ex contextu. Deinde dictum cap. 1. § *Nec obstare, de Concess. præbend.* in 6, loquitur de constitutione singulari, nempe de privilegio cuiusdam specialiter concessio: quo in casu fatendum est sufficere scientiam illius, ad cuius favorem constitutio illa specialis edita fuit, neque opus esse alia solemnii publicatione. Per hoc tamen nihil infertur, quantum attinet ad propositum, ubi sermo est de constitutione generaliter lata, et omnes obligante.

130. *Quin et retorsione*, cap. 1. de *Postulat. prælat.* — Nec etiam urgere videtur cap. 1. de *Postulat. prælat.* Nam ibidem fit mentio tantum de constitutione particulari, continente sententiam interdicti localis regni Francorum, quæ, si aliud tempus non exprimitur, statim ligat præsentem, absentes autem post tempus arbitrarium, prout supra n. 113. in simili dictum est: non autem de constitutione pontificia generaliter lata pro toto mundo, de qua impræsentiarum est sermo: unde etiam Menochius, lib. II. de *Arbitrar. judic.*, casu 185, n. 17, textum illum in solo casu interdicti de jure canonico procedere arbitratur. Insuper, cum ibidem sententia interdicti dicatur solemniter publicata in regno, et provincia (quamvis non in diocesi Altisiodorensi) atque observata in ecclesia metropolitana: textus ille potius deservit ad probandam hanc posteriorem sententiam (prout etiam Abbas proxime relatus eodem utitur pro sua probatione) videlicet ad obligationem constitutionum pontificiarum de rigore juris requiri earumdem publicationem in provincia et hujus metropoli, juxta Auth. « Ut factæ novæ constitutiones, » atque in casu cit. cap. 1. de *Postulat. prælat.*, observatum fuit. Neque ratio pontificis plus intendit, nisi contra frivolam cuiuspiam magistri excusationem ostendere, quod non sit necesse, legem solemniter editam, et publice promulgatam, singulorum auribus specialiter inculcare, ut dictum num. 110.

131. — *Respondetur ad stylum curiæ Romanæ.* — Nec tandem urgere videtur consue-

tudo, ac stylus curiæ Romanæ. Nam hic procedit pro foro externo, quando causæ Romam devolvuntur; ac præsertim tunc, quando litigatur super valore, seu nullitate actuum in contrarium gestorum, ob dicta num. 124. Deinde idem stylus curiæ habet præsertim locum in causis beneficialibus, et aliis in quibus pontifex habet liberam dispositionem, can. *Licet ecclesiarum*, 2. de *Præbend.* in 6. ac notat Engel. h. t. num. 76.

132. — *Resolutio practica præsentis, et adeo controversæ questionis.* — Resp. II. Quod ad praxin attinet, in resolutione practica præsentis quæstionis, tanto auctoritatum et rationum pondere hinc inde firmatæ, subditis standum imprimis erit iudicio superiorum suorum: nam his in dubio obedire tenentur, can. *Quid culpatur*, 23. q. 1, juncta Glossa ibid. §. *Iniquitas*. et doctores passim. Quanquam hic simul advertendum sit, præsentem quæstionem procedere dumtaxat de decretis pontificiis constitutivis, hoc est, novam legem condentibus, sive jus novum constituentibus: non item in declarativis, hoc est, mere declarantibus jus naturale, divinum, aut ecclesiasticum antiquum: nam ulro conceditur, ad declarationem juris antiqui non requiri novam publicationem, ut dictum in proemio n. 132. Deinde, quanta cum reverentia bullæ apostolicæ sint recipiendæ, aliunde liquet; utpote cum sic debeat reputari statutum Pape, ac si de ore Dei, vel beati Petri prolatum fuisset, can. *Sic omnes*, dist. 19. juncto cap. *Quanto, de Translat. episcop.* cum similibus.

133. *Circa eam attendenda est praxis, et consuetudo locorum.* — Ulterius circa resolutionem practicam hujus quæstionis attendenda est praxis, et hactenus recepta locorum consuetudo, utpote quæ (dummodo cæteroquin sit rationabilis) tantæ est efficacæ, ut non solum jus dubium (quale est præsens, ob tantam auctoritatum, et rationum varietatem) interpretari possit, c. *Cum dilectus, de Consuetud.* cum concordantiis; sed etiam legi cæteroquin claræ, tempore longævo derogare valeat, cap. ult. de *Consuetud.*

134. *Ratio cur multæ bullæ pontificiæ in variis regionibus non obligent.* — Unde tenendo etiam primam, seu communiorem, ac num. 118 et seqq. explicatam sententiam, dici poterit, quod quidem lex pontificia, simul ac Romæ publicata est, quantum est ex parte sui, ac in actu primo, omnem obligandi vim habet pro toto orbe christiano: cur autem

quoad actum secundum (id est, ut quis re ipsa constringatur) non statim omnes obliget, id non proveniat ex defectu legis, aut promulgationis, sed ex defectu alicujus conditionis accidentalis; puta, quia etiamnum ignoratur, aut quia alicubi successu temporis denuo in desuetudinem abiit. Layman. lib. I, tract. IV, cap. II. n. 4. Idipsum amplius declarat Guillelmus Herincx part. II. *Summæ theologicæ*, disp. 3. de *Legibus*, n. 117, sic inter alia loquens: « Ex his patet, quomodo multæ leges, seu bullæ pontificiæ, in variis regionibus non obligent; videlicet, quia vel in iis neque divulgatæ seu publicatæ, neque acceptatæ fuerunt, consentiente, seu tacite connivente pontifice; vel quia defectu publicationis, et acceptationis, esto in principio culpabili, tandem in perfectam desuetudinem desierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo, quod ordinarii frequenter advertant, aut existiment, ac sæpe non infundate, leges varias non congrue publicæ utilitati suarum diocesum ob inveteratas, et rationabiles earumdem consuetudines, genium plebis, defectum finis legis, v. g. quia lata fuit ob pericula, et defectus, qui ibidem generatim non grassantur, imo vix noscuntur, etc. Interdum etiam ordinarii ob potestatem laicam non possunt exequi pro libitu suo mandata apostolica. Interea vero tempore fluente in desuetudinem leges abeunt, antequam usu recipiantur. » Hæc ille. (ADNOTATIO XVI.)

§ VI.

DE ACCEPTATIONE LEGUM, SEU CONSTITUTIONUM.

135. *Lex quando censeatur acceptari, ac esse usu recepta?* — Supponendum breviter, quod lex post promulgationem debite factam tunc censeatur acceptari, quando communitas eam approbat verbo, scripto, aut alio signo, v. g. quando ipsam in casu occurrente observat. Insuper dum communitas legem observat, dicitur « Lex esse usu recepta. » Hoc prænotato

136. *Ad intrinsecam legis constitutionem non requiritur acceptatio populi.* — Quæritur I. Utrum ad legem humanam requiratur acceptatio populi? Resp. Ad naturam et intrinsecam constitutionem legis humanæ non requiritur acceptatio populi, ac proinde ante hanc lex cæteroquin justa jam obligat; quamvis per acceptationem et usum accidentaliter perficiatur, seu confirmetur. Ita Fagnanus

in c. *Treugas*, n. 48. de *Treuga*. Suarez, lib. III. de *Legib.* cap. IX, num. 6; Pirhing, h. t. n. 45; Castro Palao, part. I. tract. III, dist. 1, punct. 13, estque communior aliorum, et nunc post decretum Alexandri VII. proxime allegandum, fere indubitata; quamvis olim multi oppositum docuerint; ac præsertim Navarrus, cap. 23. *Manual.* n. 41 et consil. 1, n. 23, de *Constitut.* ubi post Dominicum et Felinum, quos citat, docet, quod « Lex, antequam recipiatur saltem per majorem partem civitatis, cujus pars transgressor, non liget, quoniam promulgari videtur cum conditione, si recipiatur saltem per majorem partem. » Hæc Navarrus.

137. *Nam ex parte legislatoris neque deest potestas.* — Probatur autem nostra conclusio: quia ad hoc, ut lex intrinsece censeatur constituta, et vim habeat obligandi subditos, duo ex parte legislatoris requiruntur, et sufficiunt; videlicet potestas, et voluntas obligandi subditos ad legis observantiam, arg. c. *Cum super*, 23. de *Offic. delegat.* Sed neutrum horum deest supremo principi, ut puta summo pontifici, vel imperatori. Non quidem potestas, nam hanc non deesse summo pontifici, utpote supremo fidelium pastori, Christianique in terris vicario, fatentur omnes catholici. In imperatorem autem populus lege Aurea omne suum dominium atque potestatem contulit, l. 1. ff. de *Constitut. princip.*

138. *Neque deest voluntas obligandi subditos.* — Neque deest voluntas. Nam verba legis (uti supponitur) simpliciter præcipiunt: atqui præceptum absolute positum non obligat sub conditione, si subditus velit acceptare, sed absolute inducit necessitatem obediendi; alias potius foret lex consilii, seu exhortationis, quam præcepti, text. clar. can. *Quisquis*, 14. q. 1; ergo. Confirmatur: quia, quando principes sanciunt novas leges, etiam poenis ac suppliciis cogunt subditos ad legum observantiam, et executionem, can. *Præceptis*, dist. 12. et can. *Non frustra*, 23. q. 5. cum similibus: ergo hoc ipso censentur habere voluntatem subditos simpliciter obligandi, et non sub conditione dumtaxat, « Si lex recipiatur. » Quinimo hæc sententia de facto videtur amplius indubitata, ob novissimum decretum Alexandri VII. qui anno 1665, die 24 septembris, inter alias propositiones etiam sequentem, ordine 28, damnavit: « Populus non peccat, etiamsi absque illa causa non recipiat legem a principe promulgatam. » Hoc enim illico sequeretur, si leges

quoad vim suam obligandi dependerent ab acceptatione populi, aut non nisi sub conditione, « Si a populo recipiantur, » conderentur.

139. *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmanur, cum moribus utentium comprobantur: Declaratur.* — Nec obstat illud Gratiani can. 4. dist. 4. ubi ait: « Leges instituuntur, cum promulgantur; firmanur, cum moribus utentium comprobantur. » Resp. enim quidquid sit de validitate hujus dicti, cujus auctor fuit Gratianus, non habens potestatem legislativam; textum hunc aperte stare pro nostra conclusione, dum expresse concedit, leges jam institui per legitimam promulgationem, ac proinde ante acceptationem populi. Si enim leges jam sunt institutae ante acceptationem, ergo hæc ad earum intrinsecam naturam, et constitutionem nequiquam pertinet.

140. *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmanur, cum moribus utentium comprobantur: Declaratur.* — Ad illud, « Firmanur, cum moribus utentium comprobantur, » dicitur illud non esse intelligendum de firmitate intrinseca, et substantiali, utpote quam leges jam antecedenter habent; sed de quadam extrinseca dumtaxat, et accidentali firmitate, quatenus leges moribus utentium comprobatae, non facile amplius per contrariam legem, vel consuetudinem abrogantur. Sive, ut loquitur Eaganus, loc. cit. num. 49 et 57: « Leges ex moribus utentium accipiunt firmitatem stabilitatis, non autem firmitatem auctoritatis. » Aut (quod in re idem est) « Leges firmanur moribus de facto, et non de jure: nam de jure satis firmatae sunt ab ipsa legitima institutione. »

141. *Leges non censentur esse conditionales, licet contrario usu abrogari possint; et cur?* — Nec rursus obstat, quod leges usu non receptae non obligent, sique non aliter a principe ferri censeantur, nisi a populo fuerint usu receptae. Resp. enim neg. antecedent. Nisi sit sermo de lege usu non recepta per tempus jure definitum, quo lex, ejusque obligatio per contrariam consuetudinem legitime præscriptam denuo abrogatur, juxta cap. ult. de Consuetud. Neque hinc inferre licet legem esse conditionalem, seu latam sub illa conditione, « Nisi usu contrario de suo abrogetur. » Nam imprimis a principio lex simpliciter obligat, adeoque fuit lata absolute, et non sub conditione tantum: alioquin populus non peccaret, eam etiam absque

ulla causa non acceptando: cum fuisse int ejus potestate, legem acceptare, vel non acceptare; quod asserere est damnatum. Deinde conditiones illae, quae tacite, seu de jure insunt (ut ista, in cap. ult. de Consuetud. fundata, « Nisi lex usu contrario, seu per longævam consuetudinem legitime præscriptam, denuo abrogetur ») non faciunt actum conditionatum, l. 3. ff. de Legat. 1. et l. Conditiones. ff. De condit. et demonstr. Unde, ut leges possent dici conditionales, deberet intervenire conditio aliqua extrinseca, sub qua ponerentur; ut puta, si erit futura fertilitas, pax componenda, vel etiam populus eam sponte recepturus, etc.

142. *Leges nulla alia de causa obligant, quam quod judicio populi sunt receptae, quomodo hoc verificetur?* — Dices. In l. De quibus. ff. de Legib. expresse dicitur: « Ipsae leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptae sunt; » ergo. Resp. primo, hoc verificari de populo Romano pro tempore antiquo, quo utebatur regimine democratico, et potestas ferendi leges penes populum existebat: secus dicendum pro tempore subsequenti, quo populus Romanus per legem regiam omnem a se potestatem abdicaverat atque in imperatorem transtulerat: Quod si etiam de hoc tempore textum illum accipere velis; respondetur id procedere ex eo, quia legibus firmitate stabilitatis populus non tenetur, nisi etiam usu sint receptae: alioquin enim lapsu longi temporis iterum abrogerentur, haud obstante, quod a principio populum obligassent.

143. *Si subest causa non acceptandi legem, debet populus ad principem recurrere per remedium supplicationis pro sublacione legis.* — Quæritur II. Quid juris, si populus justam habeat causam non acceptandi legem, vel eandem cæteroquin legitime factam, et promulgatam, non acceptat? Resp. I. Quando subest rationabilis causa non acceptandi legem, tunc populus debet ad principem recurrere per remedium supplicationis pro sublacione legis: qua stante supplicatione, licitum est populo suspendere obligationem legis. Prior pars est certa, et communis: nam nullum in hoc est inconveniens, quod stante rationabili causa non acceptandi legem, v. g. quia nimis est onerosa, recurratur ad principem per viam supplicationis, ut legem tollere velit. Quinimo circa rescripta pontificia (eadem autem ratio militat in legibus) istad expresse declaravit Alexander III.

in c. Si quando 5. de Rescript. ubi pontifex Ravenn. archiepiscopo his verbis rescribit: « Si quando aliqua tuæ Fraternalitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debet. » Et infra: « Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam præendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. »

144. *Vel ad ejus superiorem, si quem habet, appellare.* — Quinimo, si legislator ille non fuerit princeps supremus, sed lex lata sit ab inferiori legislatore, non tantum per viam supplicationis is adiri poterit, sed etiam (si legem subditis præjudicalem, aut nimis onerosam tollere renuat) ab ipso ad superiorem appellari potest: quia ejusmodi gravamen est causa rationabilis, ac sufficiens ad appellandum; quamvis cæteroquin lex secundum se non esset injusta. Cæterum a lege supremi principis appellari non potest, sed tantum supplicatio interponi, nam appellatio est ab inferiori iudice ad superiorem gradatim facta provocatio; superiorem autem in temis talis princeps, utpote supremus, non agnoscit. Castro Palao cit. disp. 1, punct. 13, n. 13. § In quarto, et alii.

145. *Et interim licite suspenditur obligatio legis.* — Altera pars, quod nimirum pendente supplicatione (et idem a fortiori dicendum de appellatione) licitum sit populo suspendere obligationem legis, est Guillel. Herinex part. II. Summa theologice, disp. 3. de Legib. n. 116, post Rodriguez, Salas, Bonacinam, et alios passim, quamvis Castro Palao loc. cit. num. 14. post Suarez lib. IV. de Legib. cap. xvi, n. 8, oppositum censeat esse probabilius. Ratio nostræ sententiæ est: tum quia istud est conveniens suavi reipublicæ gubernationi, ne subditi illico premanur legis onere, donec legislator penitus mentem suam explicaverit; nam quandoque subesse potest rationabilis causa a principe prius ignorata, et quæ stante, seu cognita, mens principis non fuisset legem ponere; tum quia hoc ipsum desumitur ex d. c. Si quando de Rescript. et probat praxis usu recepta: alioquin enim subditi ipsomet facto sibi ipsis contradicerent, allegantes justam causam, ob quam nequirent legem observare; si interim ejusmodi legem ipso opere observarent, sicque ejus observantiam sibi

possibilem astruerent. Tacentur incommoda et perturbationes reipublicæ, inde exortitura, si hodie lex observaretur, observarique mandaretur, cras iterum tolleretur, aut immutaretur.

146. *Et si princeps tacuerit, censetur annuere ac legem revocare.* — Cæterum si princeps audita populi supplicatione taceat, neque ulterius ejus observantiam urgeat, censetur supplicationi populi tacite annuere, legemque revocare: nam si animum habeat ulterius obligandi, debet hunc ipsum declarare, insistendo legi, et subditos ad hujus observantiam urgendo, atque transgressores puniendo; alioquin, « qui tacet consentire videtur, » ut inquit reg. 43. juris in 6. Bonacina disp. 2, de Legib. quæst. 1, punct. 4, n. 43; Castro Palao cit. punct. 13, n. 15; Salas et alii. (ADNOTATIO XVII.)

147. *Alioquin populus non acceptando legem rite publicatam peccat, potestque puniri.* — Resp. II. Populus non acceptando legem justam, et rite sibi publicatam, non solum potest in foro externo puniri poenis a lege taxatis; sed etiam peccat coram Deo, seu in foro conscientiae, nisi aliunde quis justa de causa sit excusandus. Prior pars sequitur ex dictis: quia enim lex totam suam intrinsecam constitutionem, vimque obligandi habet independentem ab acceptatione populi; ergo licet peccat eam non acceptando. Accedit citatum decretum Alexandri VII oppositam sententiam damnantis. Et quia « poena est noxæ vindicta, » l. Aliud est. ff. de Verb. signific., quis dubitet, talem noxam, seu conditæ legis transgressionem, juste poenis a lege taxatis puniri, seu vindicari posse?

148. *Nisi aliunde quis justa de causa sit excusandus; quod varie exemplificatur.* — Altera pars declaratur inductione. Sic imprimis excusatur populus, quando contraria principis voluntas, seu quod nolit illico populum tam graviter obligare, vel ex tenore legis, vel ex circumstantiis sufficienter colligitur; prout v. g. præsumi posse videtur in lege valde difficili, nimiumque dura et gravi, quod princeps non intendat ab initio absolute obligare, sed solum tentare sensum populi, et quomodo is tali lege sese accomodet, ut juxta eum valeat postmodum princeps legem vel plene confirmare vel relaxare, aut moderari. Suarez, disp. 3. de Legib. cap. xix. num. 12. et post ipsum Pirling h. t. n. 47; Herinex cit. disp. 3. n. 116; Castro Palao n. 12. et alii. Nam lex non

solum debet esse honesta, justa, et possibilis sed etiam « secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, » ut notatur can. 2, dist. 4. Unde si ob suum rigorem talis non sit, haud immerito præsumi poterit, quod princeps non intendat absolute populum obligare, sed potius probare.

149. *Nisi aliunde quis justa de causa sit excusandus; quod varie exemplificatur.* — Quamvis autem de rigore juris, et nisi lex sit manifeste injusta, licet dura, videatur recurrendum ad remedium supplicationis, ut dictum, ac notat citatus Suarez, idque pro foro externo moraliter sit necessarium, ne leges a populo passim, et propemodum libere respiciantur, ob præsumptum earumdem rigorem, vel alias causas, a parte rei sæpe non subsistentes: et sic lata porta aperiatur scandalis, tumultibus, et seditionibus, in gravissimam reipublicæ perniciem. Nihilominus loquendo pro foro conscientie, ac cessantibus memoratis incommodis, satis probabile est, non peccaturos illos, qui etiam non porrecta principi supplicatione ex tam rationabili causa non acceptarunt, neque observarunt legem publicatam: ut innuunt citati doctores, atque concluditur ex allegata, et rationabiliter præsumpta principis voluntate, quod noluerit illico populum tam graviter obligare, sed solummodo sensum ipsius antea probare.

150. *Nisi aliunde quis justa de causa sit excusandus; quod varie exemplificatur.* — Deinde id ipsum dicendum est, atque excusatur populus non statim recipiens legem, quando subest alia rationabilis causa a principe verisimiliter ignorata: nam ea, quæ sunt facti, atque in facto consistunt, v. g. speciales locorum ac personarum singularium consuetudines, et statuta, etiam princeps ignorare potest; nec censetur istis per legem generaliter latam derogare velle, nisi id exprimat, cap. 1. h. t. in 6.

151. *Præsertim in eo, qui legem a majori parte communitatis non servatam nec ipse observat.* — Insuper, quamvis lex cæteroquin justa, et rite promulgata, quantum est de se, ac spectata sua natura, illico habeat vim obligandi omnes et singulos subditos; tamen quod ad praxim attinet, peccati alicujus damnandi non sunt, neque puniendi singuli de communitate, si legem, quam major pars communitatis de facto non servat, nec recipit, ipsi quoque non observent. Ratio est:

quia lex est commune præceptum, L. 1. ff. de Legib. sicque primo respicit, atque obligat communitatem; ergo, si non observetur, nec recipiatur a communitate, vel saltem majori parte ejus, non censetur amplius legislator velle obligare unum vel alterum dumtaxat ad ejus observantiam: nam in iis, quæ respiciunt communitatem, attenditur major pars illius, non autem pars minor, neque unus vel alter privatus homo illius communitatis. Felinus in cap. 1, n. 11. § *Limitata secundo. de Treuga et pace.* Navarrus, consil. 1, n. 24, de *Constitut.*; Suarezius, cit. cap. xix, n. 13; Pirhing h. t. n. 46, Layman, lib. I. tract. IV, cap. iv, n. 3. hoc exemplificans de lege pontificia, si quam in sua diocesi neque promulgatam, neque a communitate usu receptam, aliqui etiam particulares non observent; et alii.

§ VII.

DE OBLIGATIONE LEGUM HUMANARUM IN GENERE, AC FUNDATARUM IN PRÆSUMPTIONE.

152. *Leges humanæ justæ, tum ecclesiasticæ, tum civiles obligant iudices in conscientia ad judicandum juxta earum præscriptum.* — Quæritur I. Utrum leges humanæ cæteroquin justæ, tum ecclesiasticæ, tum civiles, obligent in conscientia? Resp. I. Certum est, hujusmodi leges ita obligare in propriis territorii, ut iudices in conscientia teneantur ipsas observare in judiciis, et juxta earum præscriptum causas examinare, atque sententialiter decidere. Ad hoc quippe tenentur iudices vi officii sui, can. *Judices.* 3, q. 7, et can. *Summopere.* 11, q. 3. et l. *Rem non novam C. de Judiciis.* Unde imperator tum in proœmio *Digestorum*, tum in L. un. C. de *Emendat. codic.* repetita jussione mandat, ut in omnibus rebus, et judiciis, juxta leges in *Digestis, Institutionibus, et Codice* a se emendato, et confirmato, contentas ubique procedatur. Et merito; tum quia « parum est jura condere, nisi sit, qui eadem tueatur, » c. *Ubi periculum.* 3. § *Præterea. de Elect.* in 6. Atque « executioni debitæ demandet, » cap. un. §, *Et quoniam. de Statu regular.* in 6; tum quia « Judex dictus est, quasi jus dicens populo, can. *Justum.* 23, q. 2. Et si secus egerit, omniaque pro libitu neglecta legum auctoritate definat, erit *Judex iniquitatis*; prout appellatur a Christo Domino, Lucæ cap. xviii, 6. utpote *judicans judicia injus-*

ta, innocentes opprimens, et dimittens noxios, Daniel, cap. xiii, 53. Quin et indignus erit, qui judex nuncupetur: « Non est enim judex, si non est in eo justitia. » d. can. *Justum.* 23, q. 2.

153. *Et dum absolute præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant subditos in conscientia.* — Resp. II. Leges humanæ, non solum ecclesiasticæ, sed etiam civiles, possunt obligare in conscientia; et dum quidpiam absolute præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant subditos in conscientia, ita ut earum transgressio culpabilis in materia gravi sit peccatum mortale. Ita unanimis doctorum. Ratio est, quia juxta quartum præceptum Decalogi, et quidem ipso lumine naturali notum, tenemur obedire non solum parentibus, sed etiam legitimis superioribus nostris juxta præcipiendum; utpote quibus omnibus tenemur exhibere et reverentiam, et obedientiam. Unde can. *Quo jure.* dist. 8. dicitur: « Ipsa jura humana per imperatores et reges sæculi, Deus distribuit humano generi. » Concordat textus in can. *Si imperator.* dist. 96. et can. ult. 16, q. 3. ubi dicitur « venerandæ Romanæ leges divinitus per ora priorum principum promulgatæ. » Atque ideo « generale pactum est societatis humanæ, obedire regibus suis, » ut loquitur sanctus Augustinus, lib. III *Confess.* cap. viii, ac refertur can. *Quæ contra.* dist. 8.

154. *Expenditur dictum divi Pauli ad Rom. cap. xiii.* — Accedit illud divi Apostoli, *Rom.* cap. xiii, 1, dicens: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et mox infra v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Nota ly, *propter conscientiam*: id est, subditi estote, non solum metu pœnarum, sed etiam ne peccetis. Ex quo clarum fit leges humanas cæteroquin justas, dum quidpiam absolute præcipiunt, vel prohibent, obligare in conscientia; nec minus ac alia legitima præcepta superiorum.

155. *Unde leges principum sæcularium præsertim gentilium, habeant obligare in conscientia, cum in ordine ad hanc ab eis non ferentur.* — Dices: Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, arg. cap. ult. de *Præbend.* juncta l. *Non omnis ff. de Rebus credit.* Atqui intentio legislatorum sæcularium, præsertim gentilium, non fuit leges ferre in ordine ad conscientiam, sed tantum in ordine ad externum statum politicum, bene

et pacifice gubernandum; ergo eorum leges non obligant in conscientia. Resp. hoc procedere, quando legislator exprimit se nolle obligare in conscientia, ut fit in legibus mere pœnalibus; secus, quando absolute præcipit: tunc enim duplex intervenit intentio, una legislatoris primarii, videlicet Dei ter. Opt. Max. jubentis observari justas leges superiorum: altera legislatoris secundarii, qui est princeps, vel magistratus sæcularis. Licet igitur leges civiles non semper obligent in conscientia ex intentione legislatoris secundarii, ut liquet in gentilibus, lumine veræ fidei destitutis, eadem nihilominus obligant ex intentione legislatoris primarii, præcipientis custodiri leges justas superiorum, quidpiam rite præcipientium.

156. *Earum vis obligandi non oritur ex sola lege divina.* — Nec dicas hinc sequi, quod vis obligandi oriatur ex sola lege divina, sicque re penitus considerata leges humanæ civiles non obligent in conscientia. Resp. enim, neg. seqq. Quia licet vis obligandi in conscientia legum humanarum oriatur a lege naturali et divina, veluti a causa universali et remota: nihilominus eadem vis obligandi in conscientia oritur pariter a lege humana, tanquam a causa particulari et proxima: eo quod immediate, ac proxime, per legem humanam fiat, ut subditus teneatur hoc vel illud facere, seu omittere, ad quod non teneretur, nisi id per legem humanam fuisset determinatum et injunctum.

157. *Solvitur alia instantia.* — Urgebis: Potestas civilis non potest infligere pœnam mortis æternæ; ergo nec sub ea, sive sub peccato mortali, quidpiam præcipere. Probatur consequent. Quia nemo potest obligare sub pœna, quam infligere non potest; alioquin enim lex foret inutilis. Resp. neg. consequent, cum sua probatione: nam satis est, quod pœna mortis æternæ infligi possit, atque transgressoribus impœnitentibus infligatur a Deo justo iudice, utpote cujus præceptum, de observandis justis superiorum legibus positum, simul violatur; et a quo principaliter, saltem mediate, provenit potestas legislativa civilis, juxta illud divi Apostoli, *Rom.* xiii, 1 et 2, *Non est potestas, nisi a Deo: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

158. *Lex consilii regulariter non est obligatoria.* — Additur notanter in conclusione n. 153. posita, « Dum quidpiam absolute præcipiunt vel prohibent. » Nam secus dicendum